



Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. D. Ioannis Ivsti Lanspergii, Natione Bavari, Illvminati Ac Religiosissimi viri, Carthusiae Coloniensis ante annos centum Vicarii, & Magistri Nouitiorum laudatissimi Opera

In Qvinque Tomos Distributa, à mendis expurgata, veteri integritati
restituta, & indicibus locupletata

In Passionem D.N. Iesv Christi Homeliae quinquaginta sex, Theoremata
viginti octo, totidemque sermones. In Monotesseron Praeterea Eivsdem
Passionis Dominicae, iuxta Euangelistarum & historiae fidem, Elucidatio.
Conciones ad Haec Paraeneticae in praecipuis anni & Sanctorum
festiuitatibus habitae

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, Anno M.DC.XXVIII

Iesus sitiens aceto potatur art. & ho. L.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47113](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47113)

quomodo
perseuerat
in Domino
sperare de-
beant.

Heb. 7.

Desolatio
quorundam
amicorū Dei
quanta.

Amici Dei
magni licet
ipsi qui ne-
sciant qui
sint.

Fide nuda &
charitate so-
la Christo
adhærentes
quid vehe-
menter con-
solari de-
beat

Derelictio-
nem spiritus
pro amore
Dei suscipere,
quam sit
mentoriū.
Confidēdū
esse Deo lo-
ganimitet.

Domino: quia tunc maior occasio datur nobis fidelitatem nostram ostendē-
di, hoc est, an serui simus fideles tanquam filij in domo, an mercenarij atque
muneribus conducti. Nam si omni etiam sensibili deuotione destituti, & ni-
hilominus amaritudinibus atque tentationibus expositi multis, perseuera-
mus in nuda spe atque sola fide atque charitate, hoc est, dilectione insensibili
Christo adhærentes, filij sumus, non mercenarij. Inueniuntur enim amici
Christi in mundo, qui omni deuotione destituti, omnibusq; ad eō admi-
culis atq; deuotionum exercitijs priuati, vt ne semel quidem aut vix in heb-
domada spiritum suum leuare possint (licet desiderantissimè id optent) ad
Deum, ad eō repressi atque onerati deprimuntur quadam obscuritate cordis,
quæ super illorum corda mira (licet ignota) Domini dispensatione relinquitur.
Porro si vitam eorundem spectes, ad eō sunt timorati, ad eō circumspē-
cti, ad eō vigiles super conscientia sua, ad eō humiles & mortificati, vt nihil su-
pra. Hi in sola fide ambulant, stantes in nuda fide (quomodo docentur) eccle-
siæ, cui in hærent, & præter quam nihil habent vel sentimentis, nihil sentiunt
deuotionis aut amoris: declinant tamen quæque vel minima, quæ cognos-
cunt Deo displicere, frangunt abnegantq; voluntates suas maximè. Hi per-
magni sunt Dei amici, licet nesciant se Dei esse amicos: quia omnibus conso-
lationibus, omnibus sentimentis, omnibus exercitijs priuati, ad eō vt vix
Deum cogitare possint, vix ad Deum vel rarissimè mentem leuare queant, a-
stint se Deo, eiusque amicitia & gratia indignos, licet sint digni maximè:
ideō maximam cordis propterea sentiunt pressuram atq; omni manent conso-
latione nudati, vt potè qui terrenam respuunt, & cœlestem non sentiunt, in
ariditate atque siccitate spiritus, Dei beneplacita iuxta eruditionem Ecclesiæ
custodiunt. Huiusmodi nobiles animæ, quarum multas agnoui, Deo sunt di-
lectissimæ: quia Deo seruiunt non pro mercede, nec stipendijs consolationum
diuinarum aluntur, sed nuda fide & sola charitate Christo adhærent. Hæ ani-
mæ in hoc articulo vehementer debent cōsolari, quod huiusmodi quid Chris-
tus quoque in natura humana, quæ sensualem respicit, sustinuerit: Ter-
tio discimus, in omne beneplacitum nos Dei extendere, offerre nos Deo, nec
pro sensibili consolatione eidem seruire, sed omnem etiam derelictionem
spiritus (vt iam supra dixi) pro eius amore suscipere. atque vt ipse, hoc est,
tam diuina quam humana consolatione priuemur, consentire. Tunc enim
primū instat ratio merendi, quando homo à Deo non adiutus, quantum ad
sensibilem deuotionem, nec donis sensibilibus fultus, Deo æquè seruit in sua
derelictione, licet laborem habeat, difficultatem, ariditatem, atque seruiet
multa vnctus consolatione. Quartò, discendum, vt Deo longanimitet confi-
damus, innitatur, atque in hæreamus, tametsi fortasse Domini auxilium nos
senciamus, licet multum pro eiusdem adiutorio rogantes: quia ipse neq; nos
derelinquit, neque non exaudit, quamuis videatur non exaudire, aut dereli-
quisse. Semper enim aut eadem quæ petimus largitur, aut meliora, modo o-
rantes perseueremus.

IESUS SITIENS ACETO POTATUR.

Articulus L.

Postea

Postea sciens Iesus quia iam omnia consummata sunt, vt consummaretur scriptura, dixit: Sitio. Vas autem positum erat aceto plenum. Et continuo currens vnus ex eis, acceptam spongiam impleuit aceto, & imposuit arundini & obtulit ori eius, & dabat ei bibere. Cateri verò dicebant: Sinite, videamus si veniat Elias liberans eum.

HOMILIA L.

Quomodo in superiori articulo dictum est, Domino Iesu ad Patrem clamante se derelictum, Iudeos non intellexisse verba Domini, aut fortasse milites Romanos, qui Hebraeam ignorabant linguam, propter vicinitatem vocabuli, putasse Dominum Iesum cum diceret *Eli*, dicere *Elia*, idcirco dicebant *Eliam vocat iste*, exprobrare volentes Iesu spem vanam quam haberet in *Elia*, vt potè qui inuocatus non succurreret: ita etiam ab illusione non cessant, Domino clamante: *Sitio*. Nam porrigentibus alijs acetum, clamant alij: *Sine, videamus, &c.* Verè Christus corporali siti premebatur. Exaruit enim totus, quia fuso sanguine, corporis humoribus totus erat exhaustus, vnde acerbissimam tolerabat sitim. Vide tamen quia sitienti illi adedò nemo refrigerabat eius linguam, vt etiam illuderetur eidem vehementer sitienti. Continuo enim vnus accurrens, spongiam impositam arundini, atq; circumligato hysopo, impletamq; aceto cum felle mixto, porrexit illi bibere. Alij autem illudentes, dicebant: *Sine, hoc est, expecta*. Videamus an *Elias* quem inuocat, veniat ad liberandum eum. Vide cum Dominus Iesus non leui, sed grauissima torqueretur siti, nemo tamen eidem succurrit, qui vel aquæ vnâ ei guttam porrigens, sitientem refocillaret. Quin potius afflictionis maioris inferendæ quarunt occasionem, nam potum illi offerunt amarum acerbumq; non qui refocillaret, sed qui gustum amaricaret, & interiora torqueret. Iesus itaque sciens quid propinaretur sibi, adedò nos dilexit, vt licet non sumere vellet aut trahere hunc potum, linguam tamen suam gustumq; voluerit amaricare, vt ibi inferret sibi tormentum, vnde ex nobis in gustu exierat peccatum. Vide præterea, quam patienter Iesus inopiam tantam sustinuit, qua vix esse potuit maior, quantum morienti ac sitienti quoq; defuit aqua vel modica in potum. Verum non satis fuit, vt deesset quod maximè foret necessarium, nisi etiam illi præberetur quod torqueret. Torquebat autem gustum fellis amaritudo, sed multò plus torquebat illata contumelia. Erat autem non leuis, sed validissima aridissimaq; Christi sitis. Feruntur enim minuti sitire. Porro Christus minutus fuit nimio sanguine, omnem enim fermè exhausterat sanguine. Scribunt nonnulli reuelatione esse diuina manifestatum, si centum quis orationes quotidie dominicas legeret, post viginti annos singulis guttis sanguinis vnum dedisset, Pater noster. Feruntur etiam Christi vulnera fuisse quinque millia, quadraginta & sexaginta. Alibi tamen plura leguntur. Vide iam Domini Iesu cenam vltimam in cruce, aceti scilicet & fellis, & compatere regi seculorum, qui omnibus & præcipuè tibi ingratisimo non solum ad necessitatem, verum etiam ad abundantiam, omnia vsui congrua prouidet. Ipse tamen nihil sibi prouidit, sed extremam tulit inopiam. Fuit tamen hic Christus, quam

Sitis Christi in cruce corporalis acerbissima vnde.

Inopia Christi in cruce patienter tolerata quâ.

Gutta sanguinis Christi effusa quot. Alias V X.

Vulnera Christi quot.

Cena Christi in cruce cuiusmodi.

Sitis Christi
spiritualis
qua.

sto, quam innuit hoc verbo, alia quoque sitis, aliudq; desiderium, amor videlicet salutis nostrae. Sitiebat nostram salutem, & ideo sitiebat quoque in nobis puritatem, charitatem, innocentiam & virtutem. Sitis Christi erat, vt nos sitiremus bona spiritualia, caducis contemptis. Sitis eius erat, vt nos sitiremus fontem viuum caelestis gratiae. Hæc sitis vehementer illum torquebat. Heu bone Iesu tu de siti clamas, de cruce files: coronam spineam sustines, & omnium vulnerum tuorum obliuisceris, & sitim solam conquereris. Quantum cruciat te bone Iesu nostrae salutis desiderium. Iudæi & gentiles tuum sitiunt sanguinem, te occidendo: tu eorum sitis salutem, pro eis moriendo. Quid ergo aliud dicis, cum dicis. Sitio, quam si diceres, Plus me animarum vestrarum tenet salus, quam corporis mei cruciatus? Magis opto salutem vestram, quam meam, sanitatem. Infirmus sum, sed propter vos: crucifixus sum, sed propter vos: toto sum corpore vulneratus, sed propter vos: sitio, sed propter vos: nec solum propter vos, sed sitio etiam, hoc est, desiderio crucior, amore æstuo, vt obtineam vos. Misereamini vestri, misereamini etiam mei, vt in hac parte sitim meam temperetis atque dolorem, hoc autem fiet, si vocem meam audieritis, neque obduraueritis corda vestra. Tollite igitur iugum meum super vos. & discite à me, quia mitis sum & humilis corde. Viuite innocenter, & frum meam refocillabit.

Sitim Christi
quomodo
refocillare
debeamus.
Psalm. 49.
Matth. 11.

Siti sua quanam Christus suos mysticè docuerit.

Gulae tenta-
tiones quo-
modo vin-
cenda.
Thren 3.

Quotiescunq; te gula tentat, quotiescunq; abstinentia videtur onerosa, quandocunq; ieiunium grauat, aut si quando cibus videtur conditus recordare (quomodo scriptum est) ab sinthij & fellis, recole quomodo redemptor, tui causa sitiens, aceto & felle sit potatus. Certè si quis hanc Christi escam potumq; meditatatus fuerit, parum de cibo delicatiori cogitabit. Quomodo enim non merito est erubescendum, vt Domino ac rege nostro esuriente ac sitiente, nec aliud præter sal acetumq; gustante, nos communes cibos fastidiamus, delicatiora suspiremus? Num æquum est, ipso esuriente, nos inebriari: ipso plorante nos ridere? Heu quam manifeste probat nos vita nostra, non esse regis huius milites, qui in cruce pro nobis esuriens sitiensq; pendit. Hi enim soli eius sunt milites, qui carnem suam crucifigunt cum concupiscentijs suis. De horum abstinentia, paupertate, afflictioneq;, multa in libris legimus, ab operibus autem nostris omnia longè absunt. Iterum discamus hic sitire salutem animarum, Dei gloriam ac beneplacitum, iustitiam quoque, & pro his nulli parcere labori. Tertio, si Christus animarum nostrarum sitit ad eam salutem, quomodo nos eandem debemus paruipendere? Optime autem fecerimus, si bene sancteq; vixerimus. Tunc enim tanquam nectar preciosissimum Christo offerimus sitienti ad bibendum. Admonemur etiam gustus oblectamenta non quærere, sed vbicunq; possumus, euitare, & paucis esse contenti, vilibusq; gaudere escis, & vt appetitum nostrum excitet fames, non sapor.

Milites Christi
qui soli
sint.
Galat. 5.
Sitis spiri-
tualis cui-
bet necessa-
ria qua.
Nectar præ-
ciosiss. quis
Christo siti-
enti offerat.
Gustus oble-
ctamenta ef-
se euitanda.

IESVS CONSUMMATA OMNIA TESTATUR.

Articulus LI.

Ioan. 19.

CUM ergo accepisset acetum Iesus, dixit: Consummatum est.

HOMI.